



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Liber 5. De Reprobatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

INDEX CAPITVM LIBRI QVIN- TI DE REPROBATIONE.

Cap. 1. An sit, & quid sit reprobatio.

Cap. 2. An sit in intellectu, vel voluntate.

Cap. 3. An Deus ex se velit aliquos non beare.

Cap. 4. De actibus intellectus, & voluntatis Dei circa reprobos.

Cap. 5. Reprobationis negativæ non dari causam.

Cap. 6. De causa reprobationis positivæ.

Cap. 7. De reprobationis effectibus.

Cap. 8. De concordia reprobationis cum libero arbitrio.

LIBER QUINTVS DE REPRO- BATIONE.



Ubi reprobatio, & prædestinatio suo modo oppositæ sint, & in ea oppositione reprobatio ad prædestinationem, tanquam privatio ad habitum comparetur, ex his, quæ de prædestinatione diximus, facile erit omnia, quæ ad reprobationem pertinent, breuiter expedire, quia privatio ex habitu, & vnum oppositorum per aliud facile dignoscitur. Ideoq; illa omnia, quæ de prædestinatione diximus, in hoc libro comprehendemus. Dicemus ergo in primis de actibus, qui ad reprobationem concurrunt, & in quibus consistit, deinde causas, & effectus eius declarabimus.

CAPVT I.

Reprobationem esse in DEO, &
quid sit.

Reprobationem nomine significant Theologi omnes homines, vel Angelos, qui æternam beatitudinem non assequuntur. Quæ vox in hac significatione fortasse non inuenitur expresse in Scriptura: nam vbi cumque de reprobis fit mentio, potest absolute pro improbis illa vox accipi, vt Eccles. 9. *Speciem mulieris multi admirati, reprobi sunt*, id est, improbi, sic primæ ad Corinth. nono. *Castigo corpus meum, & c. ne ipse reprobos efficiar*: quamuis hic locus optimè posset in Scholastica proprietate intelligi, vt Anselm. exponit: Quidquid autem sit de voce, res ipsa de fide certa est, dari, videlicet, multos homines reprobos, quibus dicitur Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*. Qui etiam ad Rom. 9. vocantur *Vasa iræ*, & 2. ad Timoth. 2. *Vasa in contumeliam*. Cur autem hos homines damnari Deus permiserit, postea videbimus.

Hinc etiam spectando ad rem ipsam, eodem modo certum est, reprobationem dari: quia reprobos per reprobationem constituitur seu denominatur talis. Est autem reprobare, aliquid reiicere, præsertim comparatione alterius. Vnde duo possunt in reprobatione intelligi. Vnum est exterior separatio, & obiectio reprobi; quomodo de Christo dicitur Psalm. 117. *Lapidelem quem reprobauerunt adificantes*, & Marci 8. & Lucæ 17. *Oportet illum multa pati, & re-* Suarez: De Deo trinuno.

probari a gentibus. Atque hoc modo reprobatio exterior eorum, qui damnantur, fiet in vltimo iudicio, vel particulari, vel generali. Vnde constat de fide, reprobationem quoad hanc partem esse. Hæc autem exterior reprobatio supponit interiorem, quæ iudicio, & voluntate fit, iuxta illud Isaia 7. *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Nam hæc reprobatio est opus intellectualis agentis, & ideo ab intellectu & voluntate oriri debet. Et sic etiam constat, reprobationem in mente diuina reperiri, quia Deus ipse est, qui exterius reprobatur: reprobatur autem ex interno iudicio, & voluntate, ideoq; reprobatio nomine odij, & præscientiæ, aut alio simili in Scriptura significatur, vt videbimus. De hac ergo reprobatione interiori agimus, nam alia pertinet ad executionem diuinæ prouidentiae.

Hinc sequitur primo, reprobationem hanc æternam esse, sicut de prædestinatione diximus. Probat, quia quidquid Deus in tempore exequitur, ab æterno decreuit, & mente concepit: neque enim potest aliquid de nouo velle, aut intelligere: sed Deus in tempore exequitur hanc reprobationem: ergo ratio eius ex æternitate præcessit in mente Dei. Vnde etiam concluditur hanc reprobationem formaliter in solo DEO esse: in creatura vero, id est, in hominibus reprobis, ponere solum denominationem extrinsecam. Formaliter (inquam) quia effectiue aliquos effectus intrinsecos in creatura ponit, vt postea videbimus. Ratio verò est; quia nihil est æternum, nisi in DEO: reprobatio autem est æterna, ergo tantum in Deo est intrinseca.

Addunt verò nonnulli Theologi, etiam in DEO non esse propriè reprobationem, sed tantum per metaphoram, ad eum modum quo voluntas signi metaphoricè appellatur voluntas, vt videre licet in Aureolo in 1. distinctione 41. articulo tertio; prop. quartâ. Ratio esse potest, quia actus odij, vel similes; quos significare potest reprobatio, non sunt in DEO propriè, sed per metaphoram. Verum tamen quidquid sit de particularibus actibus, de quibus postea videbimus; tamen absolute, & simpliciter loquendo, omnino certum est, reprobationem propriè; & non tantum per metaphoram in DEO esse. Primò quidem, quia probabile est, reprobationem magis pertinere ad præscientiam; quam ad voluntatem. Deinde, quia supra ostensum

Et z est, vo-

est, voluntatem metaphoricam semper supponere in Deo aliquam propriam. Denique, quia effectus reprobationis propriissime sunt à Deo, & à providentia eius: ergo non possunt non supponere aliquam propriam cognitionem, & voluntatem, à qua procedant: quia hoc est de necessitate omnium effectuum Dei, pertinetque ad perfectionem, & nullam inuoluit imperfectionem.

Terribiliter sequitur ex dictis, reprobationem positam esse in aliquo actu immanente Dei, aliquo modo libero, siue sit intellectus, siue voluntatis, siue virtutis. Probatur, quia reprobatio absolute loquendo posset non esse in Deo: nam si voluisset, potuisset ita omnia disponere, ut nullus homo, vel Angelus damnaretur: ergo reprobatio non ex necessitate simpliciter Deo conuenit: ergo libere. Nihil autem est in Deo liberum, & æternum, nisi actus immanens Dei, cum certo respectu ad creaturam, ergo talis est reprobatio. Rursus actus immanens in Deo non est nisi intellectus, vel voluntatis, ut per se constat: ergo. Potest autem utriusque actui nomen reprobationis accommodari. Nam reprobatio approbationi opponitur: approbamus autem aliquid primo per iudicium rationis, quo de bonitate, veritate, vel dignitate eius recte iudicamus: & è conuerso, reprobamus id, de quo aliter iudicamus. Sicque communi vsu dicimus reprobare illam opinionem, quam falsam esse iudicamus. Quomodo potest etiam intelligi illud Psalm. 32. *Reprobatae cogitationes populorum.* Per voluntatem etiam dicimus approbare aliquid, quando illud tanquam conueniens eligimus. Et è conuerso nolitio huic electioni opposita dici solet reprobatio. Atque hoc modo reprobatio mali opponitur electioni boni, in illis verbis Isaia 7. *Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Ergo in diuina providentia nomen hoc reprobationis utriusque actui accommodari potest. Nam in Deo & est iudicium æternum de malo merito, & indignitate prauorum hominum, & est voluntas reddendi condignam poenam: utriusque ergo actus potest reprobatio appellari: certumque est in negotio reprobationis utrumque requiri, ut ex dicendis amplius constabit.

5. *Reprobatio in aliquo immanente Dei actu consistit.*

Psalm. 32.

Isaia 7.

CAPVT II.

Sitne precipue reprobatio actus intellectus, an voluntatis.

1. **Q**uestio hæc non videtur magni momenti, quia magis ad vsu vocis, quam ad rem nouam pertinere videtur. Tamen, ut sciamus quomodo nobis loquendum sit, supponenda est quedam vulgaris distinctio duplicis reprobationis, positivæ, & negativæ. De positiva procedit præsens quæstio, nam hæc sine dubitatione consistit in positio actus: nam reprobatio negativa in carentia alicuius actus, per se, & in rigore saluatur. Quis autem actus ille sit, cuius carentia vocatur negativa reprobatio, in cap. sequenti constabit. Nam ex ibi dicendis facile intelligitur, hanc reprobationem negativam nihil aliud esse, præter carentiam diuinæ electionis, seu singularis dilectionis prædestinatorum. Vnde etiam facile constabit, sicut electio prædestinatorum est in voluntate, ita reprobationem hanc negativam in voluntate ponendam esse: quia priuatio, & habitus circa idem proximè versantur. Igitur in presenti cap. de sola positiva reprobatione tractamus.

2. **D**ixerunt ergo aliqui, æqualiter ex utroque actu intellectus, & voluntatis constare reprobationem, quia sine utroque esse non potest. Alen. 1. part. q. 29. memb. 2. Richard. in 1. dist. 41. art. 3. quæst. 1. Marfil. quæst. 41. ar. 1. nota. 4. & 5. Alij precipue tribuunt reprobationem voluntati, ut Dur. in 1. dist. 40. quæst. 2. & alij quos referam cap. sequenti. Et videtur fa-

Aliquorum placitum. Alen. Richard. Marfil. Aliud placitum. Durand.

uere D. Thom. q. 6. de Veritate art. 1. in fine. Fundamentum statim proponat. Alij verò principaliter ponunt reprobationem in intellectu. Quod magis tenet D. Thom. 1. par. quæst. 23. art. 2. & 3. & omnes eius discipuli. Et fauer vsus Theologorum, nam fortasse ob hanc causam reprobos, quali per antonomasiam vocant præcitos. Et mihi etiam probatur huius loquendi modus, propter duo. Primum est, quia verbum ipsum reprobandi proprius & principaliter dicitur de iudicio intellectus: ille enim est, qui primo aliquem reprobatur, dum iudicat illum paruum, & beatitudine indignum. Secundò propter rem ipsam: opinor enim Diuinum intellectum habere primarias partes in hoc negotio reprobationis, & voluntatem non habere absolutum decretum circa illam, nisi quodammodo obligatâ, vt sic dicam, à iudicio intellectus: merito ergo dicitur reprobatio ad intellectum principaliter pertinere.

Sed obijciat aliquis, opposita versantur circa idem: reprobatio autem, & prædestinatio sunt opposita: ergo in eadem potentia, & eodem ordine collocandæ sunt. Item reprobatio est pars providentia, sicut prædestinatio: vel ergo providentia principaliter est in intellectu, vel in voluntate: si primum: ibi erit etiam reprobatio principaliter, tamen eadem ratione erit etiam prædestinatio. Si secundum, utraq; etiam erit ponenda principaliter in voluntate: non ergo rectè à nobis diuiduntur.

Respondeo, notandum esse discrimen inter prædestinationem, & reprobationem, & in tota hac materia præ oculis habendum. Nam in prædestinatione duos ordines distinximus, scilicet intentionis, & executionis. Prior dicitur potest proprie præparatio finis, & mediæ, in qua præparatio propria ratio prædestinationis posita est. Posterior vero executio nis ordo magis est communis cum effectu prædestinationis: & potest proprie approbatio appellari, quæ ut talis est, incipit à iudicio diuino præuideuti merito, & consummatur in voluntate dandi præmiû pro illis. Reprobatio igitur proprie sumpta pro reprobatione positiva (nam de negativa, si quæ est, infra dicitur) opponitur prædestinationi, quatenus approbatio est, non quatenus est præparatio. Nam in reprobatione non inuenitur intentio Dei antecedens, quæ velit damnationem vt finem, in quem dirigit propria media, vt iam ostendemus, sed inuenitur iudicium de hominis merito malo, eiusque indignitate, & voluntas retribuendi, quod illi debetur: & ideo non est necesse, si prædestinatio incipit à voluntate, quod inde etiam incipiat reprobatio positiva, sed sicut approbatio incipit à iudicio, ita etiam reprobatio. Et per hoc responsum est ad principalem difficultatem.

Ad confirmationem concedendum est (imò ex dictis sequitur) reprobationem esse partem providentia, non proprie subiectiuam, sed obiectiuam, & quali integram, vt de prædestinatione declarauimus. Quia ad diuinam prouidentiam pertinet non solum conferre beneficia, & præmia bene merentibus, sed etiam supplicia male operantibus: verumque enim est ad perfectam gubernationem necessarium, quamquam diuerso modo. Illud enim prius est per se conueniens, & necessarium, posterius verò ex suppositione alicuius mali, quia non est per se, ac simpliciter bonum, sed ad vindicandum aliud maius malum. Addit verò Diuus Thomas 1. part. quæstione 23. articulo 3. etiam pertinere ad vniuersalem providentiam supremi gubernatoris dirigentis res in fines suos, permittere, vt aliqua deficient à suo fine consequendo, quia ad vniuersalem providentiam spectat, sinere, vt res operentur modo sibi conaturali, & consequenter, vt impediatur, vel deficient, si hoc fit naturæ earum consentaneum. Cuius permissionis rationes alias postea videbimus.

D. Thom. Te rium placitum. D Thom.

Hic loquuntur de modum eligunt.

3. Obiiciunt.

4. Diuiduntur.

5.

Ad confirmationem responsum.

D Thom.

Hinc

Hinc ergo fit, vt non solum propria reprobatio positua ad prouidentiam pertineat, sed etiam id, quod ad talem reprobationem necessario supponitur, vt est permissio peccati. Sed diuerso modo: nam hæc prouidentia permissiua ex suo genere non necessario fundatur in aliqua præscientia absoluta futurorum, sed in diuina voluntate, vt videbimus: reprobatio autem supponit semper præscientiam absolutam alicuius effectus, cuius Deus non est causa. Et ob hanc rationem, siue prouidentia tota principaliter tribuatur intellectui, siue voluntati, tamen hæc pars eius, quæ est reprobatio positua primariæ partes habet in intellectu. Nullum enim est inconueniens, quod respectu alicuius totius, quoad vnâ partem eius, vnus actus sit principalior, respectu verò alterius partis actus sit prior, & præcipuus, vt per se manifestum est. Vt autem hæc omnia clariora fiant, explicandi in particulari sunt actus voluntatis, & intellectus diuini, qui in reprobatione interueniunt.

CAPVT III.

An DEVS ex se voluerit aliquem à Regno cælesti excludere in primo signo rationis, in quo de salute hominum decernit.

1. Diuerso opinio.
Nonnulli Theologi sentiunt, in sua voluntate neundem ordinem seruasse Deum cum reprobis, quem habuit cum electis. Atque ita in eodem signo rationis, in quo Deus elegit efficaciter quosdam ad gloriam, voluisse etiam absolute, & simpliciter, vt alij non consequantur gloriam. Ita sentit Durand. in l. d. 40. q. 2. numer. 6. & indicat Corduba lib. 1. quæst. quæst. 56. notab. 2. opin. 5. quamuis sub dubio. Idemque defendunt aliqui moderni. Eamque maxime amplexi sunt heretici huius temporis, præsertim Caluinus & Beza, eamque tribuunt Augustino libro 1. ad Simplician quæst. 2. & libro 11. Genes. ad Literam, capit. 10. & Prospero libro 1. de uocatione gent. capit. 21. sed immerito, vt infra clare ostendam. Fundamentum præcipuum sumitur ex verbis illis ad Rom. 9. *Iacob dilexi: Esau autem odio habui.* Nam illud odium oppositum fuit amoris, & non minus efficacis quam illud: quia est tam absolutus actus voluntatis diuinæ, sicut actus amoris: ergo infallibiliter infert, & virtute continet reprobationem: nam sicut ille amor est de bono gloriæ, ita odium de malo carentiæ gloriæ. Et tamen de vtroque dicitur æqualiter, *Antequam quidquam boni aut mali egissent.* Ergo in eodem signo rationis habuit Deus vtrumque actum.

2. Vnde etiam potest formari ratio, nam voluntas Dei non manet suspensa, nec mere negative se habet circa aliquod obiectum: ergo quibus non voluit in illo signo efficaciter dare gloriam, voluit absolute non dare: quia negatio vnius voluntatis est (vt ita dicam) positio alterius. Et confirmatur, nam sicut Deus ex se voluit dare gloriam prædestinatis ad ostensionem gratiæ suæ, ita voluit non dare alijs, vel ad ostensionem potentiæ, & iustitiæ suæ in illis, vel ad ostensionem gratiæ in alijs. Nam priorem finem indicauit Paulus in eodem capit. 19. dicens de Pharaone, *In hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam, id est, potentiam: & vniuersaliter de reprobis subiungit, Si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, & cæc.* Posteriorem verò finem proponit idem Apostolus, dum ait, *liberum esse sigillo facere vos in honorem vel in contumeliam ex eadem massa, & ita Deum fecisse reprobos, vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vna misericordiæ: ergo Deus ex se, atque adeo in primo signo rationis, quâdo nullam inæqualitatem viderat in hominibus, habuit præconceptos hos Suarez: de Deo trinuno.*

nes generalis prouidentie suæ, & in virtute tantum illorum, sicut hos elegit, ita voluit alios à regno eijcere.

Secunda opinio moderatior est, Deum non ita se habuisse circa omnes reprobos, tamen circa aliquos habuisse hanc voluntatem, quam non tantum ex Scriptura, quam ex effectibus probant. Nam aliqui sunt ita derelicti à Deo, vt non solum non saluentur, sed etiam nec saluari possint, potestate proxima, & in particulari, vt maxime patet in his paruulis, quibus non potest humano modo applicari baptismus: idemque est suo modo in adultis, ad quos lux Euangelij non peruenit, ne fortasse inspiratio diuina supernaturalis. Nam (vt sæpè dixi) media ostendunt intentionem finis: hæc autem media talia sunt, vt infallibiliter habeant coniunctam exclusionem à Regno: ergo signum est Deum absoluta voluntate illam intendisse, saltem circa huiusmodi homines.

Alij denique moderantur hanc sententiam, dicentes, Deum ex se neminem voluisse absolute excludere à Regno, nec ante, nec post præuissum lapsum humanæ naturæ in Adamo. Esse tamen quandam diuersitatem inter hæc duo signa, seu hos duos status, quod, ante præuissum originale peccatum in humana natura, Deus non solum neminem excludit à Regno sua absoluta voluntate, verum potius erga omnes habet affectum simplicis voluntatis saluandi omnes: eodem modo se habuit erga Angelos ante præscientiam peccati. At post præuissum lapsum humanæ naturæ, licet nullum etiam statim voluerit eijcere à Regno efficaci voluntate, non tamen circa omnes habuit illum simplicem affectum cupiendi eis beatitudinem æternam, sed circa plures habuit huiusmodi simplicem affectum voluntatis dandi illis regnum, quantum est ex se. Circa nonnullos verò aiunt, post præuissum originale peccatum habuisse Deum voluntatem simplicem, & quasi desiderium eijcendi illos à Regno, propter originale peccatum, & ex hac voluntate impediuisse, ne illis posset applicari remedium contra illud peccatum. Quod maxime affirmant de his paruulis, quibus non potest tale remedium applicari. Et fundamentum est, quia hæc impotentia, seu impedimentum, quod in tempore contingit, non euenit, sine diuina prouidentia, quæ non tantum est permitvens, sed etiam ordinans, quia ille effectus sæpè fit sine peccato, & quidquid peccatum non est, non est tantum permissum, sed etiam ordinatum à DEO: ergo signum est hoc medium esse volitum à DEO propter illum finem, intentum saltem per simplicem voluntatem.

Ad explicandam ergo veritatem permitto, vel suppono, posse esse sermonem de omnibus, vel ante, vel post præuissum peccatum Adæ. Et in priori consideratione sub hominibus etiam Angelos comprehendendo, quia vna est omnium ratio. Sub posteriori verò peccatum Adæ, (quod proprium est humanæ naturæ) considerari potest, vel præcise, vt fuit in Adam, in quo omnes peccauimus, vel vt iam cõmunicatum, & participatū à singulis per proprium originale peccatum vniuscuiusque. Quæ duæ considerationes cõferre possunt ad alios effectus infra tractandos, tamē in præsentī quæstione eandem rationem habent: & idē absolute sub lapsu humanæ naturæ vtramque rationem comprehendemus.

Dico ergo primo. Ante præuissum Angelicum peccatum, vel humanum respectiue, Deus non habuit absolutum decretum excludendi à Regno cælesti aliquam intellectualem creaturam. Hanc veritatem ita existimo certam, vt contrariam iudicem improbabilem, & alienam à sana doctrina. Docuit illam D. Thom. quæst. 6. de verit. artic. 1. ad vltimum; D. Thom. Scot. in 1. dist. 41. quæstion. 1. ad fin. vbi ait sine crudelitate non posse aliud cogitari. Idem Basolis dist. Basolis.

*Ferrar.
Gordub.
Catherin*

Fiorans.

Staples.

Viguer.

*Ioan. à Bon.
Flaminus*

40 q. 1. Ferrar. 3. contra Gent. capit. 161. & Corduba supra non est alienus ab hac sententia. Quam ita defendit Catherin. libro 2. de prædeterminatione in principio, ut oppositam dicat esse horribilem, & omnium piorum aures verberare: ipsumq; Augustinum eam ut impiam detestari, lib. 6. Hipognoti con Horatius et iam lib. 3. locorum Cathol. cap. 8. ob hanc causam de Caluino ait, quod Deum atrocem, & ferocem confingat, Stapleton. in c. 9. epist. ad Rom. vers. 20. §. Nunc igitur, & §. Imo, & seq. Et infra vers. 30. dicit, hunc fuisse execrabilem sensum Caluini, Deum iniquitatis, & iniustitiae arguentis. Similiter Viguer. in Instit. Theolog. capit. 20. §. 3. vers. 2. dicit sententiam illam diuinæ iustitiae repugnare. Multa familia, & magis acerba in eam sententiam profert Ioan. à Bononia, lib. de prædeterminatione sparsim. Et Flaminus Nobilius lib. 1. de prædeterminatione. cap. 7. Quæ non ideo refero, ut has omnes exaggerationes, & censuras approbem, & meas faciam (earum enim iudicium alijs committo) sed solum ut sensum Catholicorum Theologorum proponam, qui non poterit non multum permouere lectorem.

7. Probatur autem hæc sententia primo ex illis verbis Sap. 1. *Deus mortem non fecit nec delectatur in perditione uiuentium*, cum similibus adductis, in quibus Scriptura semper significat, Deum ex se nemini mortem, præsertim spirituales, vel damnationem uelle, quod uerum non esset, si ex se, & non prouocatus à creaturis, tale decretum habuisset. Dicunt aliqui, illa testimonia intelligenda esse quantum ad poenam inferni, quæ includit poenam, & alias deordinationes, & miseras, quæ sunt in inferno, non uero quoad simplicem carentiam uisionis beate. Quia illa uisio non debetur humanæ naturæ: & ideo potuit Deus pro sua libertate eam negare quibus uoluit. Sed est falsa responsio, quia prima ac præcipua poena, in qua consistit mors secunda animæ, est perperua priuatio illius beatitudinis, & consequenter etiam diuinæ gratiæ, & in eadem consistit propria damnatio quoad substantiam. Unde paruuli, qui sine applicatione remedij contra originale peccatum moriuntur, uerò damnantur, & moriuntur morte secunda, ratione huius solius priuationis. Neq; enim talis carentia habet nunc rationem negationis in aliquo homine, sed priuationis, & poenæ, quia licet beatitudo æterna non debeatur naturæ secundum se spectatæ, debetur tamen naturæ ut eleuatæ ad illum finem, si peccatum non obstat: ex diuina ordinatione.

8. Secundo sumitur hæc ueritas ex Concilio Araucan. can. 25. & Tridentino session. 6. can. 17. Quatenus damnant dicentes, *Deum prædeterminasse aliquos ad malum, sicut prædeterminauit alios ad bonum*. Quod licet ab aliquibus intelligatur de prædeterminatione ad malum culpæ (quod posset nobis sufficere, ut statim dicam) tamen Concilia, si attente legantur etiam loquuntur de prædeterminatione ad æternam damnationem, quam scilicet Deus ex sola sua uoluntate decreuerit, sine præcedente culpa. Quod aperte declarauit Prosper ad obiectiones Vincentiana & responsione undecima. Hinc etiam Patres, quos in principio huius operis retuli, qui aliquando distinguunt prædeterminationem ad uitam, & ad mortem, differentiam constituunt, quia priore Deus habet ex se, posteriore autem minime, donec præuideat peccata hominum. Ut uidere licet in Concilio Valentino sub Lothario, capit. quinto, & in Fulgentio libro primo, ad Monimum, capit. 13. Et idem planè sentit Augustinus de prædeterminatione Sanctorum capit. decimo. Vbi assertit illud Psalm. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Quia prædeterminatio ad uitam ex misericordia est, alio ex iudicio. Et ideo in epist. 105. & 106. & lib. 3. contra Iul. cap. 18. & lib. undecimo. Genes. ad litteram cap. 11. & sæpè alias dicit, *Deum non prius esse uiciorum, quam homo in peccato*.

*Conc. Valen.
Fulgent.
August.*

Vnde tertio argumentor sic ratione, quia si Deus habuit uoluntatem excludendi aliquos à Regno, & excludendi ab illa, si uerè supponatur antecedente præscientiam futurorum operum. Nam sicut intentio dandi gloriam ut coronam iustitiæ, uirtute includit uoluntatem dandi bona merita, & ideo ex uirtute illius necesse est, ut Deus illa det, & procuret: ita uoluntas efficax excludendi à Regno, uirtute includeret uoluntatem dandi, & procurandi mala merita, quæ necessaria sunt, ut illa exclusio fiat ex uindictiua iustitiæ, sicut præordinata esse dicitur. Differunt autem hæc uirtuales uoluntates, quod prior est consentanea diuinæ bonitati, posterior autem minime. Deus enim non solum uelle aut procurare non potest homini mala merita, uerum etiam nec permittere ex illo affectu ut homo cadat, & regnum amittat, quia talis intentio per se spectata, non est Deo digna, ut constat.

Vnde in hoc est notanda differentia, & conuenientia inter uoluntatem dandi gloriam, & excludendi ab illa, si uerè supponatur antecedente præscientiam futurorum operum. Nam sicut intentio dandi gloriam ut coronam iustitiæ, uirtute includit uoluntatem dandi bona merita, & ideo ex uirtute illius necesse est, ut Deus illa det, & procuret: ita uoluntas efficax excludendi à Regno, uirtute includeret uoluntatem dandi, & procurandi mala merita, quæ necessaria sunt, ut illa exclusio fiat ex uindictiua iustitiæ, sicut præordinata esse dicitur. Differunt autem hæc uirtuales uoluntates, quod prior est consentanea diuinæ bonitati, posterior autem minime. Deus enim non solum uelle aut procurare non potest homini mala merita, uerum etiam nec permittere ex illo affectu ut homo cadat, & regnum amittat, quia talis intentio per se spectata, non est Deo digna, ut constat.

Dico secundo. Postquam præuisum Adæ peccatum & originale, quod ab illo omnes homines contrahunt, non statim Deus propter illud solum, & in illo eodem signo rationis excludit à Regno per absolutum uoluntatis suæ decretum omnes homines, qui de facto damnantur, imo nec eorum aliquem. Hanc assertionem non intendunt etiam Theologi, & Doctores superius citati, loquuntur enim de hominibus in præsentis statu naturæ lapsæ constitutis de quibus etiam, ut opinor, Concilia, & sancti loquuntur, propter quod non minus ueram assertionem hanc, quam præcedentem, esse sentio. Ut autem probetur, præsertim quoad ultimam partem, in qua dicimus nullum hominem ita exclusisse Deum à Regno definito consilio, oportet distinguere inter peccatum originale ut præcisè contractum, vel ut durans in homine toto tempore uitæ usq; ad mortem, & ut sic præuisum. Nam considerando peccatum originale hoc posteriori modo, non est dubium, quin uoluerit Deus ab æterno excludere multos homines à Regno propter solum peccatum originale: non tamen in illo primo signo rationis, in quo lapsum Adæ prænouit, sed postquam præsciuit illos homines perseveraturos in illo usque ad mortem. Nam secundum fidem in tempore hoc facit Deus: quidquid autem in tempore facit, ab æterno decreuit. Estque illa uoluntas iustissima, ad uindictiua iustitiæ spectans, supposito pacto cum Adamo inito. Nunc autem non ita consideramus originale peccatum, sed priori modo, id est, ut præcisè contractum, & sistendo in signo rationis, in quo talis lapsus humana natura fuit præcognitus, in quo in rigore solum præuisi sunt homines, ut lapsi in Adamo. Nam post illam scientiam, nostro more intelligendi, & loquendi, decreuit Deus redimere uniuersum humanum genus quoad sufficientiam: de illo ergo eodem signo dicimus, Deum in signo illo neminem exclusisse à Regno propter solum lapsum Adæ, sic præuisum.

Probatur assertio primo, quia in illo signo Deus uoluit, quantum est ex se, saluare omnes homines lapsos: sed cum illa uoluntate repugnat decretum excludendi à Regno omnes, quinon saluantur, si attribuat

9.

Rasso

Damaso

10.

11.

2. assid.

Obi.

Rassi.

Tertia

assid.

uicium

12.

Probatum

assid.

buatur Deo ex se solo, cum sola præuisione originalis peccati. Quod probatur, nam voluntas simplex alicuius boni, & absolute nolito eiusdem boni tunc non repugnat, quando non utraque habetur ex sola libertate volentis, sine alia causa, vel conditione, tamen quod posita eadem conditione ex parte personæ, aliquis velit quantum est ex se aliquid bonum ei conferre, & simul velit absolute, & simpliciter non dare illi tale bonum, repugnantia est manifesta. Quia qui absolute non vult, simpliciter, & quantum est ex se non vult: velle autem ex se, & non velle etiam ex se, repugnantia est. Ita vero est in proposito: nam posito originali peccato, Deus absolute voluit omnibus dare remedium salutis, atque adeo liberare omnes ab illo lapsu, quantum in ipso erat: ergo fieri non potest, vt in eodem signo rationis, & absque alia conditione, vel causa præuisa simul efficaciter voluerit non admittere ad Regnum tantam hominum multitudinem, quia hæc duæ voluntates plane repugnant, vt declaratum est.

13. Atque hæc ratio non solum probat primam partem assertionis, scilicet, non habuisse Deum talem voluntatem circa omnes homines, qui de facto non saluatur: sed etiam probat secundam, circa nullum illorum talem voluntatem habuisse. Quia ostensum supra est, circa omnes homines lapsos, nullo excepto, habuisse Deum illam voluntatem saluandi vnquamque ex parte sua, non obstante originali peccato: ergo hæc voluntas non admittit aliam circa aliquem: ergo circa neminem omnino habuit Deus talem voluntatem. Accedit, quod si Deus voluisset non admittere aliquos ad regnum post præuisum originale peccatum ergo habuisset illam voluntatem in penam originalis peccati præuisi: nam talis voluntas dicitur esse ex iustitia vindicativa, & ideo ponitur post peccatum originale præuisum, & non antea. Illud autem non potest esse vniuersaliter verum, quia multi reprobi non eiiciuntur à Regno propter peccatum originale, vt constat de omnibus illis, quibus in hac vita originale peccatum remittitur, qui propter illud non puniuntur, præsertim pena æterna vitæ futuræ: ergo circa illos non potuit Deus habere voluntatem illam punitiuam. Nam quod in tempore non fit, nec Deus ab æterno efficaciter illud voluit: Alias diuina voluntas absoluta non impleretur, quod repugnat.

14. Dices, Aliqui damnantur propter solum originale peccatum: ergo saltem illi potuerunt in illo signo excludi. Respondetur negando consequentiam: quia illud peccatum, vt præcisè contractum, nunquam est in tempore sufficiens ratio priuationis beatitudinis in perpetuum, sed vt durans in homine vsque ad mortem eius: ergo propter illud vt sic præuisum, non habuit Deus talem voluntatem. Alias ex vi illius voluntatis obligaretur Deus ad impediendum, ne tale peccatum tolleretur ab illis hominibus, & procurandum vt duraret vsque ad mortem. Vnde illam etiam durationem virtute Deus voluisset per talem voluntatem, quæ omnia absurda sunt, & à fortiori hoc ipsum constabit ex sequente assertionem.

15. Dico tertio, Deus ex se, & voluntate simplici non appetiuit aliquem hominem priuare æterna gloria, etiam post præuisum originale peccatum. Hæc assertio est contra tertiam opinionem, & licet non videatur tam certa assertio, sicut præcedentes, quia Theologi, de illa non ita expressè loquuntur: mihi tamen omnino vera videtur, & eadem proportionem sequi ex positis fundamentis. Primo quia cum illo affectu Dei saluandi omnes, & singulos, quantum est ex se, quod Chrysostomus etiam ardens desiderium appellauit, cum hoc (inquam) repugnat non tantum voluntas absoluta, sed etiam simile desiderium contrarium, seu contrarij obiecti, quando vtrumque habetur, ante eadem cognitionem, & eisdem causis, &

rationibus. Maxime cum supra dixerimus, hoc desiderium salutis non esse in Deo qualemcumque complacentiam, sed veram prosecutionem per modum intentionis, quoad hoc efficacis, vt obliget Deum ad danda media ex se sufficientia: ergo fieri non potest, vt Deus simul & ex se habuerit similem intentionem circa contrarium malum eiusdem personæ. Vnde authores illius tertie opinionis ideo ponunt in Deo hoc desiderium damnationis aliquorum, præsertim paruulorum, propter solum originale peccatum, quia putant Deum non habuisse desiderium salutis eorum, neque vlla media sufficientia eis contulisse. Verum tamen quam est falsum hoc fundamentum, vt supra ostendi, tam falsum est, Deum habuisse tale desiderium damnationis illorum hominum.

Et confirmatur, nam si qua esset ratio ponendi hunc actum in Deo, maxime quia in tempore multi de facto impediuntur, ne obtinere possint remedium originalis peccati. At hinc nullum argumentum sumitur, quia non est necesse, imo nec credibile, quod tale impedimentum proueniat ex directa intentione Dei hoc procurantis, ne tales homines consequantur remissionem peccati originalis. Alioqui Deo tribuendum esset impedimentum salutis vt sic, & duratio perpetua in statu peccati, non solum vt permittenti sed etiam vt procuranti, quod mihi videtur absurdissimum, & contra illas generales regulas: *Perditio tua ex te, tantummodo ex me auxilium tuum.* Et quod, *Deus neminem deserit, donec deseratur.*

Nec refert, quod tale impedimentum sæpe proueniat ex effectu per se bono inculpabili, quem effectum Deus non tantum permittit, sed etiam vult. Nam, licet hoc possit esse verum de illo effectu per se considerato, vel in ordine ad alios fines vniuersi: tamen vt est impedimentum salutis, & remissionis peccati, seu, quod idem est, vt est occasio durationis in statu peccati, sic tantum est permittendus, quia inuoluit aliquo modo malitiam culpæ. Tandem, si Deus haberet talem effectum, frustra diceremus esse simplicem, & non absolutam voluntatem. Tum quia nec virtute, nec formaliter includeret conditionem, nulla enim assignari potest: tum etiam, quia ex vi illius dicitur Deus applicare media, quod est signum absolutæ voluntatis: si ergo hanc non habet, nec simplicem effectum, aut desiderium habet.

Fundamenta secundæ, & tertie opinionis soluta sunt ex dictis. Ad respondendum autem fundamentis primæ opinionis, oportet explicare, quem actum voluntatis habuerit DEVS circa reprobos in illo signo, quod in sequente capite melius præstabimus.

CAPVT IV.

Qui actus diuini intellectus, vel voluntatis in reprobatione interueniant.

REprobationis terminus est aliquod malum hominis, qui reprobatur: nam inter alia in hoc distinguitur reprobatio à prædestinatione, quod illa in bonum, hæc in malum terminatur. Sicut autem prædestinatio proprie sumpta solum est ad supernaturale bonum, ita reprobatio dicitur in ordine ad malum illi oppositum: & ideo utraque censetur pertinere ad ordinem prouidentie supernaturalis: prædestinatio quidem vt perficiens, & quasi completens illum ordinem, reprobatio vero vt deficientis ab illo in obiecto, seu termino suo. Quo fit, vt hic solum agendum sit de actibus intellectus, & voluntatis DEI, qui versantur circa malum ipsius reprobi: nam de actibus per quos vult illi bonum, iam dictum est libro præcedente. Duplex autem

Duplex ma-
li se culpa,
& poena.
Duo certum
stabilium.

est hoc malum, scilicet, culpa; & poena, de quibus duo tanquam certa supponenda sunt. Primum est, ante omnem actum voluntatis diuinae antecedere praescientiam vtriusque mali, & vt possibilis, & vt futuri sub conditione. Praescit enim Deus omnem culpam, quam reprobis commissurus est; si in hac, vel illa occasione libertati suae permittatur absque alia specialiori gratia, & consequenter etiam praescit durationem illius culpa, & poenam ex illa consequendam, si talis etiam conditio permittatur. Tamen haec tota praescientia non pertinet intrinsece ad reprobationem, nam similem habet Deus de multis praedestinatis, solum ergo ad totam prouidentiam supponitur.

2.
Alteru, quod
certum
proponitur.

Secundo est certum, voluntatem diuinam circa illa duo mala, culpa, & poena, ita se habere, vt malum culpa per se, & directe nullo modo velit, quia hoc pugnat cum bonitate eius, quod est de fide certum, vt latius tractaui in li. 2. de Auxiliis. Malum autem poena directe vult Deus, non tamen ex se illud vult, sed ex ratione iustitiae, supposita culpa, vt sepe dictum est. Quamuis autem Deus non velit malum culpa, permittit tamen illud. Videndum ergo superest, quos actus voluntatis habeat Deus, tam circa mala poena, quam circa mala culpa, quae in reprobis futura sunt.

In quo sita
sit diffen-
tas.

3.
Opinio Au-
reoli.

Potest autem hoc loco in primis referri opinio Aureoli in i. d. 41. art. 3. dicentis, Deum non habere aliquem proprium actum voluntatis suae circa malum reprobis, sed quidquid Deo attribuitur tanquam volenti, vel nolenti tale malum, solum per metaphoram tribuit, quia ita se habet in exterioribus effectibus, ac si veller illud. Quod ex parte sequutus est Durand. in 4. d. 17. qu. 7. dicens, in Deo non esse propriam displicentiam peccati, neque iram contra peccatorem. Et videtur fundari, quia hic actus circa malum includunt imperfectionem. Veruntamen, licet de quibusdam actibus in specie dubitari possit, an secundum proprietatem in Deo inueniantur, vt sunt, v.g. odium, aut ira, de quibus infra aliquid attingemus, tamen de actu voluntatis absolute negari non potest, quin Deus proprie & sine metaphora habeat aliquem actum voluntatis circa reprobum. Nam vt minimum habet voluntatem efficacem, & absolutam priuandi illum beatitudine, & puniendi aeterna poena, saltem post prauiam eius peccata: quia hic effectus causatur a Deo in tempore: ergo voluit illum ex aeternitate. Item ille actus nullam omnino includit imperfectionem, sed potius habet perfectionem iustitiae vindicativae. De hoc ergo actu dubitari non potest. An vero habeat etiam alios, & quo ordine rationis, dicendum iam est.

4.
Secunda o-
pinio.

Est igitur secunda opinio Scoti in i. dist. 41. circa finem dicentis, Deum in primo, & secundo signo, in quo voluit praedestinatis & gloriam vt finem, & gratiam efficacem vt medium, circa reprobos mere negatiue se habuisse. Vbi consequenter significat, nullum actum posituum voluntatis circa illos habuisse, donec prauiis peccato, voluit illos punire. Et hoc sensu distinguit duas reprobationes, negatiuam, quae antecedit praescientiam peccati, & positiuam, quae subsequitur. Fundamentum illius est: quia Deus in primo signo, v.g. non habuit voluntatem dandi reprobis gloriam, alias essent electi: nec etiam voluit illos priuare gloria, quia hoc non vult ex se, vt supra probatum est, ergo mere negatiue se habuit. Neque hoc censetur inconueniens in vno signo aeternitatis. Quando enim dicitur diuina voluntas, non manere quasi suspensa, ita vt nihil statuat de aliquibus effectibus, an sint vel non sint futuri, intelligendum id est secundum realem durationem aeternitatis. Hoc autem modo in praesenti non manet suspensa Dei voluntas: quia in posteriori signo ex aeternitate habuit voluntatem non dandi beatitudinem his hominibus, in priori autem signo praescindere ab vtroque

Fundamen-
tu stabilium

actu, non est inconueniens. Hanc opinionem Scoti aliqui moderni impugnant, existimo etiam in vero sensu fuisse loquutum.

Et in primis ibi non negat, in illo primo signo habuisse Deum circa reprobos voluntatem illam antecedentem, & simplicem saluandi illos, quam aliis locis admittit, vt supra vidimus: sed solum agit de voluntate efficaci dandi, vel tollendi gloriam, & quoad hanc conuincit ratio facta neutra habuisse Deum circa reprobos in illo signo. Secundo probabilius censo, DEVM in illo signo ita non elegisse reprobos ad gloriam, vt posituum actum voluntatis habuerit non eligendi illos, seu volendi non eligere. Quod non latuit Scotum. Nam in i. d. 47. expresse ponit hunc actum sub probabilitate: vocat tamen illum reflexum. Vnde cum alibi ait, negatiue se habuisse Deum, intelligit quoad actus directos, tamen haec ipsa negatio volita est per actum reflexum. Ratio huius est, quia licet voluntas possit non velle hoc, aut illud, per solum suspensionem actus, vt in nobis Philosophi admittunt, tamen tunc illa omisio seu carentia actus est tantum virtute, seu interpretatiue voluntaria, quia scilicet voluntas potest velle, & non vult cum aduertentia. Si autem accedat voluntas positua non agendi, vel non eligendi, iam illa omisio erit directe & formaliter voluntaria. At hic modus agendi, vel non agendi ex se perfectior est. Ergo probabilius est ita se gerere Deum in non eligendis reprobis. Maxime, quia illo actu infinito voluntatis suae potest Deus formaliter, & expresse hanc negationem velle, sine vlla mutatione, vel additione, sed eodem modo, quo vult caetera.

Tertio dicendum est, non praeparasse Deum his hominibus illam specialem prouidentiam gratiae, quae praedestinatis confert, ac proinde ante praescientiam absolutam futurorum peccatorum actualium non elegisse illos ad gratiam congruam, & hanc ipsam negatione actu positiuo voluisse. Probatur, quia quod Deus in tempore non donat, in aeternitate non praeparat: his autem hominibus non dat in tempore hanc specialem prouidentiam, vt supponimus, ergoneque illam ex aeternitate praeparauit. Rursus, quod Deus in tempore non facit, ab aeterno voluit non facere, non solum per carentiam actus, sed etiam per directum voluntarium, ex ratione supra facta: ergo hanc etiam voluntatem habuit Deus circa hos homines. At hac voluntas non supponit necessario culpam ex parte hominis, quia non est voluntas puniens, sed cuiusdam generalis prouidentiae gratiae: ergo non est necesse, vt supponat praescientiam absolutam futurorum, ergo habuit illam Deus in illo priori signo post voluntatem non praeligendi eosdem homines ad gloriam.

Aliqui tamen existimant, non habuisse Deum hanc voluntatem, donec prauidit peccatum Adae, quod est probabile, maxime propter sententiam Augustini, de qua infra. Non est tamen fundanda haec sententia in hoc, quod peccatum sit ratio, vel conditio necessaria ad talem voluntatem: nam in Angelis non praedestinatis habuit Deus similem voluntatem, absque praecognitione alicuius peccati: Sufficiens ergo ratio ad hanc voluntatem est, quod Deus nulli debet gratiam suam, & potest ea distribuere prout voluerit. Nec sola voluntas finis obligabat ad maiorem gratiam conferendam, vt ex dictis in superiori lib. constat. Supposita ergo illa sententia, ratio eius sumenda est ex modo prouidentiae, quam Deus habere voluit cum hominibus. Nam ante prauium originale peccatum, in prouidentia gratiae ordinaria nullum fecit discrimen, sed omnibus sufficienter prouidit per iustitiam originalem, eius tamen amissione prauiis, electis ad gloriam voluit dare specialem gratiam congruam: aliis vero eam noluit praeparare.

Est tamen in hoc caute obseruandum; cum di-
cimus

Scoti sententia explanatur.

Explicatur Ratio

Con-

Ang-

Diffin-

Aliaque

Quaestio

8.

Quod dicitur non esse intelligendum, directe voluisse, ut illa gratia, quam dat, non sit congrua, quia hoc vel ad culpam hominis pertinet, scilicet ad malum vsum gratia, & resistenciam liberi arbitrij, vel certe in parvulis (extendendo ad illos locutionem) pertinet ad impedimentum salutis: neutrum autem Deus directe vult, aut intendit, ut supra dictum est. Duo ergo includuntur in illa voluntate. Vnum est: quod licet Deus praevideat alias gratias futuras esse congruas his hominibus, si eis darentur, nihilominus eas dare non vult, quia eas non debet, & secundum communem providentiam modum, quem immutare non vult, non se offert occasio illas tribuendi. Aliud est, quod praevidet Deus gratias ordinario cursu, ut tali modo conferendas illis hominibus, non esse futuras illis congruas, & nihilominus illas tantum dare vult, & reliquum defectum permittit. Atque in his actibus continetur reprobatio, quae dicitur negatiua, & commode dicitur non praedestinatio, quia per eam Deus nondum excludit hominem, sed tantum illum non specialiter eligit ad gloriam, vel gratiam.

De hac reprobatione intelligendus est locus Pauli, quem supra in hunc locum remisi ad Rom. 9. *Esau autem odio habuit.* Nam ibi odium non significat proprium, & formale odium, de quo dicitur Sapient. 10. *Nihil odisti eorum, quae fecisti:* Quia hoc modo impossibile est, ut Deus odio habeat suam creaturam, praefereim antequam aliquid mali culpa in ea praevideat, ut in eo loco Pauli supponitur, iuxta expositionem superius datam. In illis ergo verbis odium nihil aliud significat, quam voluntariam carentiam illius amoris specialis, quo Deus prosequutus est Iacob, & praedestinatus. Hoc enim solet haec vox sepe significare in Scriptura Luc. 14. *Qui non odit patrem suum, aut matrem, &c.* id est, qui non illos minus amat, quam me. Sicut etiam Deus dicitur odurare, solum quia non specialiter miseretur, ut dixit August. 1. ad Simplic. q. 2. Verum est, Augustinum aliquando exponere illam locum de odio vindictive iustitiae propter peccatum originale, quod dicitur fuisse praevium in Iacob, & Esau, quia Paulus solum dicit, *Antequam quidquam boni, aut mali egissent, non antequam quidquam mali contraxissent.* Quae expositio est probabilis, sed non necessaria, ut latius videbimus cap. 7.

Sed adhuc manet difficultas in aliis verbis Pauli supra etiam relictis. *In hoc exultavi te, ut ostendam potentiam meam.* Et si Deus volens ostendere iram, &c. Nam ex his videtur colligi, ante dictam reprobationem negatiuam, habuisse Deum intentionem alicuius mali circa hos homines. Respondetur nihilominus Deum non habuisse talem intentionem, neque hanc colligi ex verbis Pauli, sed potius oppositum, ut patet ex illis verbis. *Sustinui in multa patientia vas ira.* Prius ergo supponit, homines se fecisse vasa iniquitatis: & Deum expectasse illos. Vbi etiam adiungendum est illud ad Rom. 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit.* Non ergo sustinuit, ut puniret, sed ut parceret: videns autem homines impoententia sua thesaurizare sibi iram, tandem voluit illos punire. Vnde illa particula, *ut*, in eo loco non significat causam finalem, sed solum consequentiam posita a se. Quod est frequens in scriptura, quando circumstantia loci, & materiae id postulat Ioan. 10. *Ut qui vident, caecifiant.* Et Isaia 6. ac Luc. 8. *ut videntes non videant, &c.* Et haec est expositio communis Patrum ad dicta loca Pauli.

Vltimo, post dictam reprobationem negatiuam subsequuta est ordine rationis reprobatio positiua, quae in tribus actibus contineri videtur. Primus est absolutae praesentiae, quae Deus praevit peccatum illud, vel peccata futura in talibus hominibus usque ad finem vitae, de qua nihil novum addendum oc-

currit. Secundus actus est etiam intellectus, & consistit in iudicio pratico, & quasi sententia Dei finali, quae decernit Deus, hunc hominem esse dignum, qui excludatur a Regno, & puniatur aeterna poena condigna. Nam stantibus legibus divinae iustitiae, & posita praedicta praesentia, naturaliter sequitur hoc iudicium, quod etiam necessarium est, ut voluntas recte velle possit. Et in hoc actu ponunt aliqui reprobationem positiuam: quia secundum legem ordinariam ex vi illius homo infallibiliter damnabitur, & est probabile. Tamen, quia effectus Dei non est simpliciter futurus, donec Deus illum velit, & quia non obstante illo iudicio, posset Deus de potentia absoluta non punire hominem: ideo ad complementum reprobationis necessarius est tertius actus, qui est voluntas absoluta dampnandi reprobum, qui est potissimus actus vindictivae iustitiae.

De hac autem voluntate dubitari solet, an sit verum, & proprium odium Dei circa tales homines. D. Thom. 1. contra Gentes, cap. 99. generaliter credit non esse odium proprium, sed metaphoricum. Alij vero contendunt esse proprium odium, quia est voluntas mali, ut vere malum est talis poena. Exillimo tamen rem pertinere ad modum loquendi. Placet quod D. Thomas ait 1. p. quaest. 20. artic. 2. illud non esse odium hominis, quia non est ex displicentia ipsius hominis, vel naturae eius, esse tamen odium peccatoris, ut peccator est, ex contraria ratione.

Simili modo dubitari solet, cum Paulus vocet saepe hunc actum *iram Dei*, an illa appellatio propria sit, vel metaphorica. Nam Lactantius libro de Ira Dei, ex professo contendit, Deum habere veram, & propriam iram in peccatores: Quia ira nihil aliud est, quam appetitus vindictae oblationem, vel iniuriam ab alio illatam. D. Thomas autem 1. p. q. 20. artic. 1. ad 4. dicit, iram non proprie Deo attribui, quia supponit tristitiam, iuxta illud Aristot. 2. Rhetoricor. cap. 2. & 4. *Qui irascitur, dolet.* Et haec sententia est magis recepta: quia ira etiam in nobis non fit sine aliqua animi commotione. Differentia vero etiam est in vocis significatione: Quia tamen haec accipienda est ex communi usu, ideo placet posterior locutio. Dum modo admittamus, iram non ita dici metaphorice de Deo, sicut tristitiam, poenitentiam, & similes. Nam tristitia neque est in Deo, nec significat actum, qui in Deo fit, sed effectum aliquem similem illi, qui in nobis oriri solet ex tristitia. Per iram vero significamus aliquem proprium actum DEI habentem convenientiam analogam cum ira hominis in eo, quod est intrinsecum illi, scilicet, in appetitu vindictae. Solumque differt, quod in Deo non habet illam causam, quam habet in nobis, scilicet tristitiam, & quia ex vi illius vocis significatur ille actus sub denominatione a tali causa, ideo quantum ad hoc dicitur actus ille non esse propria ira, sed propria vindicta.

CAPVT V.

Reprobationis negatiua non dari causam ex parte hominis praescit.

Explicata natura reprobationis, breuiter dicendum est de causis, & effectibus eius. Constat autem ex his, quae de praedestinatione diximus, hic solum tractare de causa ex parte hominis, per quam sibi aliquo modo meruerit reprobationem suam, obiter vero etiam dicemus de causa ex parte DEI. Omitto autem in primis errorem Manichaeorum, qui in quoddam principium summe malum referebant totam causam eorum hominum, qui damnantur: & Priscilianistarum, qui hoc tribuebant fato, & cuidam naturali necessitati: Caluini, & sequacium, qui ita hoc tribuunt

12.
Dubium.
Opinio
D. Thom.

Alia opinio.

Eligitur opinio.
D. Tho.

13.
Aliud dubium
Lactant.

D. Thom.

Aristot.

Placet posterior modus loquendi.

14.
Error Manichaeorum.

tribuunt voluntati diuinæ, vt illam faciant primam causam, & radicem totius culpæ, & perditionis reprobatorum. Contra hos enim errores alius locis expresso disputatur: & videri possunt, quæ diximus in lib. 1. & 2. de Auxiliis.

2.
Opinio negans.
D. Thom.

Ferrar.
Durand.
Gregor.
Marfil.
Dried.
Adams.
Rom 9.

Inter Catholicos ergo multi negarunt dari causam reprobationis ex parte hominis. Huius opinionis videtur esse D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. nam in solut. ad 3. videtur in hoc æquiparare reprobationem prædestinationi. Idem tenet Ferrariensis 3. contra Gentes, cap. 161. Durand. in 1. dist. 41. q. 2. præsertim num. 14. Gregor. art. 2. conclus. 4. & 5. Marfil. q. 41. artic. 2. Driedo in Concordia, t. p. c. 3. Adamus ad Rom. 9. & multi ex modernis scriptoribus. Fundamentum est, locus satis tractatus ad Rom. 9. Et ratio, quæ ex dictis de prædestinatione sumitur, est. Nam si daretur causa reprobationis ex parte hominis, esset in libera potestate eius reprobari, & non reprobari: ergo in eadem potestate esset prædestinari, & non prædestinari: nam hæc duo immediata esse censeantur: omnes enim, qui non reprobantur, prædestinantur: ergo posset homo esse causa suæ prædestinationis, nimirum, existens causa suæ reprobationis. Additur etiam alia ratio, quia homo non est causa primi effectus reprobationis, vel permissionis peccati, vel negationis auxilij congrui: ergo non est causa totius reprobationis, atq; adeo nec reprobationis simpliciter, & absolute.

7.
Secunda sententia extrema contraria.
Henric.
Ocham.
Gabr.

Alij fuerunt in sententia extreme contraria, scilicet dari ex parte hominis causam totius reprobationis, etiam quoad negationem prædestinationis. Hanc tenent omnes auctores, qui affirmant dari in prædestinationis causam suæ prædestinationis, vt sunt Henric. Ocham, Gabr. & alij: loquunturque consequenter. Qui putant Deum voluntate sua non fecisse discretionem electionis inter homines ex se æquales, sed eos elegisse ad gloriam, quos aliquo modo magis dispositos præscit: ergo è contrario aliquos reliquit propter aliquam causam ex parte illorum, quæ fuerit vel illorum culpa, vel carentia illius dispositionis.

4.
Media opinio.

Aliqui vero, præsertim ex modernis authoribus, admittunt causam reprobationis, quamuis prædestinationis negent, & illam esse dicunt originale peccatum. Quia illud ex se fuit sufficiens causa derelictionis diuinæ: ergo quos Deus deseruit, propter hanc causam deseruit, quamuis multos alios habentes eandem causam deserere noluerit, quod in illis misericordiam diuinam tribuendum est, in alijs vero iusto iudicio. Atq; ita absolute datur causa reprobationis in his, qui deseruntur, quamuis comparationis non detur, scilicet, cur hi potius quam illi deserantur. Et hoc modo interpretantur sententiam Diui Thomæ, & putant etiam esse Diui Augustini: quia multis in locis videtur ita loqui de separatione electorum ex massa perditionis per misericordiam, & derelictionis aliorum in suo lapsu per iudicium.

5.
Prima conclusio.

Suppositis autem principiis à nobis iam traditis resolutio huius quæstionis facilis est. Aliter enim loquendum est de causa reprobationis positivæ, & aliter de causa non prædestinationis, seu reprobationis negativæ: de hac ergo posteriori nunc agimus, de alia in sequenti capite dicemus. Dico itaq; primo, ex parte reprobi nullam dari causam reprobationis negativæ, nec rationem voluntatis Dei de non præeligenda tali persona efficaciter ad gloriam. Quoad hoc verum habet prima sententia, quam etiam sequuntur Scot. & alij. Recte q; fundatur in loco Pauli ad Rom. 9. *Antequam quidquam, &c. vsque ad illud, Esau autem odio habui, cum expositione superius à nobis data.* Et iuxta hanc assertionem intelligitur illa admiratio Augustini, *cur hunc trahat, & illum non trahat noluisse iudicare, &c. tract. 26. in Ioan.* Et Epist. 165. *Cur hunc liberet, & non illum.* Et de corrept. & gratia, cap. 8. & 13. Nam si respiciamus ad hos effectus in executio-

Rom. 9.

August.

ne, videtur dari causa ex parte hominum. Et ideo aliqui non mouentur hac admiratione Augustini, nam ille trahitur, qui à Deo mouetur, & ipse se moueri finit, alter vero non trahitur, quia licet à Deo moueatur, ipse resistit. Tamen, licet hoc sit verum in executione, nihilominus respiciendo ad præparationem, & præelectionem Dei, magnam habet admirationem, quod hunc potius, quam illum præelegerit, cuius rei nullam causam August. in hominibus inuenit. Quam intelligentiam docte notauit Soto lib. 1. de Natura & gratia, c. 15.

Dices, hinc solum probari, non dari causam comparationis vnus præ alio, non tamen absolute non dari causam non electionis. Respondeo, hoc conuincendum esse, ad iuncta ratione. Quia in eo signo, in quo prædestinati fuerunt electi, non habebant culpam vllam à Deo præuisam: ergo & reliqui, qui non fuerunt electi, non habebant culpam præuisam in eo signo, in quo electi non sunt: ergo ex parte sua non habuerunt causam suam non electionis. Prima consequentia patet, quia in eo signo, in quo facta est discretio inter illos, erant illi æquales inter se, vt probat etiam exemplum Pauli de figulo, & luto. Et confirmatur aperte in Angelis, in quibus nulla culpa præcessit ante diuinam permissionem, & à fortiori, neque ante voluntatem non eligendi ad gloriam. De hominibus autem possent aliter sentire qui putant electionem prædestinatorum factam esse post præuisum originale peccatum, vt statim in simili dicemus, nos autem supra ostendimus etiam hominum electionem factam esse ante præuisum originale peccatum: ergo etiam in hominibus nulla fuit supposita culpa in eo signo, in quo Deus voluit hos eligere, & non alios. Secunda vero consequentia patet: quia ex parte hominum, vel Angelorum nulla potest cogitari causa seu ratio talis voluntatis diuinæ præter culpam. Dicit aliquis, sufficientem causam esse, quod in tali creatura nulla est ratio, ob quam Deus debeat illam eligere. Respondeo, hic non esse sermonem de huiusmodi ratione negatiua, sed de causa aliqua morali, quæ ex parte creaturæ addita sit, & possit mouere DEVM ad talem volitionem. Præsertim, quia Deus neminem eligit, eo quod teneatur, aut quia creaturæ ob suam capacitatem naturalem debeatur talis electio: vbi autem affirmatio non est causa affirmationis, neq; opposita negatio potest proprie dici causa negationis.

Contra hanc vero assertionem obicit possunt verba Prosperi in respon. 3. ad Gallos, vbi de reprobis sic loquitur. *Non necessitatem puniendi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo non prædestinati, quia futuri ex voluntaria præuentione præsciti sunt.* Similia habet respon. 7. Dico tamen, vltimum esse terminum negatio propositio, ex contextu enim constat loqui de ipsa reprobatione positiva. Nam, quia illa semper coniuncta est cum negatione prædestinationis, ideo solet vnum pro alio vsurpari extra rigorosam disputationem.

Hinc vterius assero, necessarium non esse dari causam ex parte reprobi, ob quam Deus noluerit illi dari gratiam congruam, seu media in sua præscientia infallibilia ad obtinendam salutem. Hoc probari potest eodem discursu, quia nulla culpa necessaria supponitur ex parte creaturæ ad hanc Dei voluntatem. Item, quia prima permissio peccati non potest habere causam ex parte reprobi, vt recte dicit prima opinio, & manifeste constat ex dictis cap. præcedente: in permissione autem includitur negatio dicti auxilij. Deniq; in Angelis est hoc manifestum, quia in eodem signo, in quo Deus voluit dare his Angelis hæc gratiam præuenientem, illis vero illam, in Angelis electis nulla præcesserat culpa: ergo, neq; in alijs, erant enim in illo signo æquales quoad meritum, vel demeritum.

De ho

CAPVT VI.

Detur ne causa ex parte hominis positivæ reprobationis eius.

QVI ponunt in Deo positivam voluntatem excludendi à Regno celesti omnes reprobos ante præmissa illorum mala merita futura, consequenter aiunt nõ dari causam reprobationis positivæ ex parte talium hominum, quia reprobatio hæc in illa voluntate maxime consistit. Atq; ita intelligunt multi primam opinionem ca. superiori relata. Veruntamen huius sententiæ fundamentum ibi satis explosum est, sententiæq; illa sic explicata nullo modo probanda est.

Dico ergo primo, reprobationis positivæ dari causam ex parte reprobi. In hoc habet verum secundam sententiam positam capit. præced. quam Scotus, & alij sequuntur. Estque manifesta sententia Augustini Epist. 107. & 108. & libro 3. contra Iulianum. capite 8. de Bono perseuer. capite 8. & 14. & sæpe alias. Prosper resp. 3. & 7. ad Gallos, & resp. 11. ad Vincent. Fulgentius libro 1. ad Monimum, cap. 13. & sequentibus, qui docent, Deum neminem prædestinasse ad malum æternæ pœnæ, nisi propter culpam. Quod etiam habet Concilium Valentinum sub Lothario capit. 3. Huc etiam spectat doctrina Damasceni sæpe allata, lib. 2. de Fide cap. 29. Deum ex se non velle malum hominibus, sed ab ipsis prouocatum. Colligitur etiam ex omnibus Scripturis, quæ docent, Deum neminem condemnare, nisi propter peccatum eius. Quamuis enim supra diximus, in prædestinatione, vel electione ad gloriam non esse bonam illationem à causa præmij ad causam prædestinationis, vel electionis, nihilominus hic optima est à causa pœnæ æternæ ad causam reprobationis ad talem pœnam.

Et ratio est, quia Deus præparat præmium ex misericordia, & confert ex iustitia: pœnam autem non potest præparare ex misericordia: & ideo neq; illam præparat ex se voluntate absoluta. Solum ergo præparat per iustam condemnationem: & in hac præparatione consummatur reprobatio positivæ: ergo sicut datur causa condemnationis, ita etiam reprobationis. Quod tandem manifestum est in actibus, in quibus supra diximus positam esse reprobationem hanc: nam præscientia absoluta futuri peccati supponit ex parte obiecti illud esse futurum. Sententia item finalis, quæ fertur contra reprobos, in eius demeritis fundatur. Et inde tandem consequitur voluntas illa absoluta priuandi illum Regno & puniendi. Ergo omnes illi actus, in quibus consistere potest positivæ reprobatio, habent fundamentum ex parte hominis reprobandi.

Dico 2. Peccatum originale non est adæquate causa reprobationis eorum omnium, qui de facto damnantur. Hæc assertio est euidentissima in Angelis malis, qui reprobatii sunt absq; originali peccato. Deinde, mihi etiam certa est in illis omnibus hominibus, quibus peccatum originale in hac vita remissum est. Nam quod est causa reprobationis, est etiam causa æternæ pœnæ: & conuerso quod non est causa æternæ pœnæ, non est causa reprobationis, sed peccatum originale, quod in hac vita remittitur, non est causa æternæ pœnæ: ergo nec est causa reprobationis illorum hominum, quibus interdum remittitur. Minor certissima est, quia remisso originali peccato, remittitur æterna pœna ei debita: semel autem remissa tali culpa, & pœna, nunquam amplius redit, quia dona Dei sunt sine pœnitentia, ergo peccatum originale semel remissum non puniatur æterna pœna: ergo non est causa æternæ pœnæ. Maior autem principalis argumenti ex dictis facile constat, quia quoad hoc

De hominibus autem potest probabiliter dici, peccatum originale sufficientem causam fuisse non dandi hanc gratiam his, quibus eam Deus dare noluit: quia nos supra diximus, distributionem (vt sic dicam) gratiæ prouenientis, etiam in diuina voluntate, factam esse post præscientiam originalis peccati. Et quamuis hoc fuerit æquale in omnibus, & ideo non potuerit esse ratio dandi gratiam congruam his potius, quam illis, tamen absolute erat ex se sufficientis ratio negandi gratiam congruam his, quibus eam Deus negare velle: ergo credibile est etiam respexit se Deum ad hanc rationem, cum illam habuit voluntatem. Sic enim voluntas illa nõ erit ex absoluta potestate, sed etiam ex iustitia: quando autem commode fieri potest, Deus vult, seu operatur secundum omnem rationem virtutis. Et hoc est, quod sæpe infiruat August. in discretione hominum ex massa perditionis, cuius loca statim referam.

Dices. Multi sunt homines reprobi, quibus peccatum originale remittitur: ergo in illis non potest hoc peccatum esse causa huius negotiationis gratiæ congruæ, quia Deus non punit peccatum remissum. Respondet negando consequentiam, quia licet Deus non puniat peccatum remissum priuatione gloriæ, aut gratiæ iustificantis, vel auxiliantis necessariæ, & sufficientis, sæpe tamen negat vberiorē gratiam, seu specialem, & non debitam prouidentiam propter peccatum semel commissum, etiam si iam remissum sit. Nam ex materia de pœnitentia constat, cum culpa non semper remitti omnem pœnam, quod maxime verum est de pœnis huius vitæ, & extraordinariis, & de facto constat, remisso originali peccato per baptismum, non dimitti pœnam mortis, neq; alias pœnalitates huius vitæ. Ergo ita potuit Deus absolute inferre hanc pœnam, quibus voluit propter talem culpam, quæ pœna nunquam tolleretur, etiam si remittatur culpa. Sicut etiam contingit aliquem virum iustum, qui à Deo recipiebat multa specialia auxilia propter actuale peccatum priuati illa speciali gratiæ, & quamuis postea per pœnitentiã restitueretur ad iustitiam, non ideo statim restitui ad antiquam familiaritatem, vel specialem protectionem Dei.

Sed quæret tandem aliquis, an huius voluntatis, seu reprobationis negativæ detur aliqua causa saltim ex parte Dei. Respondet, si in particulari loquamur de his hominibus, vel Angelis comparatione illorum, nullam esse, vel certe nullam à nobis assignari posse, sicut dictum est de prædestinatione, est enim eadem ratio, quia in personis est æqualis dignitas, vel indignitas, & quidquid in vno operatur Deus ad manifestanda sua attributa, potuit operari in alio. Tamen in communi habuit sine dubio Deus multas rationes, ob quas noluit omnes eligere eodem modo, & consequenter voluit aliquos non eligere. Quæ rationes summe de sunt vel ex manifestatione diuinæ gratiæ in electis, vel ex parte libertatis, vt Deus relinquere creaturas omnib. modis libere operari, & ostenderet fragilitatem futurum virum naturalium. Alia vero ratio, quæ summi solet ex manifestatione iustitiæ Dei vindicatiuæ, non est ita accipienda, vt ante præscientiam absolutam futuri peccati habuerit Deus intentionem, vel voluntatem absolutam manifestandi hanc iustitiam, quia vt dictum est, Deus ex se non habet hanc voluntatem, & alioqui virtute vellet ipsam culpam. Solum ergo habuit Deus voluntatem illam post præmissam culpam, antea vero præcognouit, se posse hoc bonum elicere ex peccato, si ab homine fieret, & solum habuit voluntatem conditionatam ita se gerendi cum homine, si ipse peccaret.

10. Obiectio Diluitor.

11. Diluitor. Replanatur.

1. Prior sententia.

2. Prima conclusio. Scotus. August. Prosper. Fulgent. Conal. Valent. Damasc.

3. Ratione corroboratur.

4. Secunda conclusio.



hoc eadem est ratio reprobationis, quæ est condemnationis: quia reprobatio non fit à Deo, nisi per modum condemnationis, est enim actus vindictivæ iustitiæ, habens pro intrinseco termino, & quasi obiecto æternam damnationem. Quamvis enim Deus habeat alios actus vindictivæ iustitiæ circa peccata, volendo in vindictam illorum alias infligere penas: tamen donec absolute velit æternam poenam, non reprobatur hominem: hanc enim poenam nemini velle potest propter originale peccatum, quod ei remittit, seu remissurus est.

5. Atq; hæc ratio non solum probat, peccatum originale non esse adæquatam causam positivæ reprobationis eorum hominum, quibus ipsum remittitur, verum etiam neq; partialem, neq; omnino esse causam talis reprobationis. Probatur applicando eundem discursum cum proportione, quia illi homines nullo modo damnantur propter peccatum originale, etiam ut partialem causam, ergo nec reprobantur, quia in hoc negotio eadem est ratio reprobationis, quæ damnationis, ut declaratum est. Responderi potest, originale peccatum etiam si remittendū sit, esse fontem & radicem omnium peccatorum, quæ postea committuntur, item esse causam mortuam, ob quam Deus iuste vult non dare illis hominibus congrua auxilia ad non committenda talia peccata, vel ad non perseverandum in illis vsq; ad mortem. In qua voluntate perseverat Deus, etiam si remittat originale peccatum. Ad hoc vero respondetur, etiam si totum concedatur, non sequi, originale peccatum esse propriam causam partialem reprobationis, quando ipsum remittitur, sed ad summum esse quandam occasionem remotam, & remouentem prohibens. Nam illa negatio auxilij congrui non est causa peccati: ergo neq; est causa reprobationis, cuius peccatum est propria causa: ergo nec peccatum originale remissum dici potest causa reprobationis, etiam si fuerit causa illius negationis auxilij.

6. Dico 3. In paruulis, quibus peccatum originale nunquam remissum est, causam positivæ reprobationis esse ipsum originale peccatum, non quatenus præcisè contractum, sed quatenus durans & perseverans vsq; ad mortem, & sub ea conditione à DEO præuisum. Prior pars clara est, quia eadem est causa ex parte hominis reprobati, sicut reprobationis, quæ est sua damnationis, vt sepe dictum est: sed in his paruulis tota causa damnationis eorum est originale peccatum: ergo idem est causa reprobationis. Et inde probatur facile altera pars, quia peccatum non est causa damnationis, nisi sub ea conditione, si vsq; ad mortem perseveret, quæ includitur in illa conditionali sententia à Christo lata, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*: Ergo similiter peccatum originale non est causa reprobationis, nisi supposita illa conditione præuisa, scilicet quod, perseveraturum sit vsq; ad mortem. Jam enim sæpe dictum est, quoad hoc eandem esse rationem de causa reprobationis, & condemnationis. Quod de peccatis actualibus statim confirmabimus.

7. Nec probanda est illorum sententia, qui ab hac generali regula quosdam paruulos excipiunt: quia illa exceptio nulla probabili ratione fundata est: & ratio facta æque de omnibus procedit. Nam, ut supra visum est, Deus non habuit absolutam voluntatem excludendi aliquem paruulum à Regno ex vi solius peccati originalis, donec præuidit, ex aliis generalibus, & ordinariis causis euenturum, ut in eo peccato, & absq; applicatione remedij moterentur, ipso permittente, quod Deus permittere decreuit ex sua generali providentia, ac libera voluntate: quæ permissio pertinet potius ad reprobationem negativam, quam ad positivam. At positivè nunquam Deus voluit antecedenter, ut sic dicam, & ex se non applicat alicui paruulo tale remedium, aut infantè illum perseverare in originali peccato vsq; ad mor-

tem, & ideo nec reprobare postivè illum voluit, eo nec præuidit perseverantiam eius in originali peccato, ut dictum est. Vnde potest assertio ampliari ad adultos, in quibus peccatum originale est interdum causa reprobationis, saltem partialis, quatenus in illo peccato simul cum aliis vsq; ad mortem perseverant, & non alias: quia, ut dixi, si ante mortem remittatur, nullo modo erit propria causa, etiam si propter alia peccata quis reprobetur.

Ultimo ergo dico, in adultis causam reprobationis esse peccatum finale, siue vnum, siue multiplex, siue originale, siue actuale mortale, siue vtrumque simul, si vsq; ad mortem non remittuntur. Ita docent auctores supra citati, & specialiter videri possunt Bellarm. lib. 2. de Gratia, & liber q; arbitrio, cap. 16. Horantius libro 5. locorum Catholicorum capite 9. qui dicunt, hanc esse Augustini sententiam. Ratio vero est eadem, quia eadem est causa reprobationis positivæ, quæ est causa damnationis: adulti autem non condemnantur propter peccata originalia, vel actualia, nisi impleta illa conditione, *Si in illis vsq; ad mortem perseverent, quæ sub illa continetur, Nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Nam sicut merita non sunt in effectu causa glorificationis, nisi sub illa conditione à Concilio Tridentino posita, *Si in gratia decesserit*: ita neq; vllum peccatum est causa perditionis adulti, nisi sub dicta conditione durationis eius vsq; ad mortem: ergo sub eadem est causa reprobationis, & non alias. Sicut autem causa adæquata condemnationis cõsurgit ex toto cumulo peccatorum, quæ ante mortem non remittuntur, ita etiam causa reprobationis omnia illa complectitur, & ille cumulus nomine finalis peccati significatur. Et sicut de paruulis dicebamus, ita multo maiori ratione de adultis dicendum est, non posse Deum velle ex se perseverantiam hominis adulti in statu peccati mortalis vsq; ad mortem, quia hoc esset ex se velle malè culpæ, ut rectè significavit August. de Correctione, & gratia, ca. 13. & Prosper ad obiectiones Gallorum, responsione 2. Præuidet ergo Deus statim adulti in peccato vsq; ad mortem, & tunc reprobatur illum, atque hoc modo peccatum finale est causa reprobationis.

Neque contra doctrinam hanc urgent verba illa Pauli, *Antequam quidquam boni, aut mali egressent, creati*, quia, ut dixi, iustificenter explicantur de negativa reprobatione, seu non prædestinatione. Instant vero aliqui virgendo illa verba, *Fecit quedam vasa in honorem, & quedam in contumeliam*. Nam hæc videntur significare ordinationem positivam. Et ideo Augustinus epistol. 106. putat necessario supponere culpam saltem originalem. Sed reuera illa satis non est in hominibus, ut ostendi, & in Angelis non habet locum. Igitur illa etiam verba necessario intelligenda sunt negativè, vel permissivè, id est, fecit vasa in contumeliam, scilicet, non fecit in eum honorem, ad quem alia preparavit, vel fecit vasa, quæ præsciuit suis operibus futura esse in contumeliam, id est, libere permisit. Solet enim Scriptura loqui de permissione tanquam de positivæ actione, vel præcepto, ad declarandum certitudinem eius, & omnino pendere ex diuina voluntate.

CAPVT VII.

De effectibus reprobationis, præsertim de permissione peccati.

Primo certum est, Reprobationem habere aliquos effectus, quia reprobatio est pars providentiæ: providentiæ autem Dei habet aliquos effectus ad extra, imo ex aliquibus effectibus cogimur attribuire Deo hanc partem: seu rationem providentiæ; Hinc

Effugium.

Præcluditur.

6. Tertia assertio.

7. Aliquorum sententia non probatur.

8. Prima assertio.

Bellarmino, Horantio.

Concilium Tridentinum.

Augustinus, Prosper.

9. Distinctione quibus Paulus.

Sine peccato reprobatur effectus.

Hinc etiam secundo certum est, effectus reprobationis esse effectus Dei, quia & Deus est ipsamet ratio, providentia suae, & est author illorum effectuum, quorum providentia est causa: ergo nihil potest esse effectus reprobationis, quod non sit etiam effectus Dei.

nit culpam, nam illa non potest habere rationem peenae, nec pertinere vilo modo ad vindictivam iustitiae, sed reprobatio tota pertinet ad hanc iustitiam vt diximus: ergo illa permissio nullo modo potest pertinere ad reprobationem. Et confirmatur maxime in prima permissione peccati humanae naturae, nam illa communis fuit reprobis, & praedestinati: sicut etiam peccatum illud ex se aequae omnibus nocuit ergo non potuit permissio illa esse effectus reprobationis.

Impugnatur hac sententia.

2. Ex quo tertio concludunt Theologi omnes cum Magistro in 1. distinctione 40. & D. Thoma 1. p. qu. 23. art. 3. peccatum non posse esse effectum reprobationis, quia non potest esse effectus Dei, & nihil est ex reprobatione, quod non fit a Deo. Vnde hanc differentiam omnes constituunt inter praedestinationem, & reprobationem, quod cum merita, sint causa ultimi effectus praedestinationis, & demerita sint etiam causa ultimi effectus reprobationis, nihilominus merita sunt effectus praedestinationis, demerita autem non sunt effectus reprobationis, quia merita sunt ex divina intentione, & praeparatione, demerita autem non sunt hoc modo ex Deo: quia repugnat bonitati, & voluntati eius.

Peccatum non potest inter reprobationis effectus numerari.

Propter haec est secunda sententia, quae distinguit inter primam permissionem, & subsequentes: & de illa fateatur non esse effectum reprobationis propter rationes factas, de ceteris autem affirmat. Quia secunda permissio (& sic de alijs) iam supponit culpam ex parte hominis, vnde potest esse poena prioris peccati, iuxta illud ad Rom. 2. propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum: ergo potest esse effectus reprobationis. Et confirmatur, nam talis permissio incipit iam pertinere ad obdurationem peccatoris: obdurationem autem est effectus reprobationis, vt sumitur ex ad Rom. 9. & docet saepe Augustinus, praesertim de Bono perseverant. capit. 14. Sicut praedestinationis effectus (inquit) est gratiae oppositio, ita reprobationis aeterna quodam modo esse videtur obduratio. Vbi notanda est illa particula, quodam modo, quae ad hoc posita videtur, vt indicetur differentia. Nam praedestinatio est causa propria, & per se gratiae: reprobatio autem non sic est causa obdurationis, sed solum quia illam non impedit, quatenus est causa non miserendi, vt dixit idem Augustinus libro 1. ad Simplician. quaest. 2. illud autem non misereri, estmittere: ergo reprobatio est causa huius permissionis.

6. 2. sententia.

Rom. 2.

Rom. 9.

3. Neque oportet in hoc distinguere inter peccatum quod tantum est culpa, vel quod est etiam poena prioris culpae, vt nonnulli distinxerunt: sed non recte, quia peccatum sub nulla ratione potest esse effectus Dei, & consequenter nec reprobationis. Quia licet dederimus in aliquo peccato addi relationem, seu denominationem poenae, talis poena in particulari sumpta intrinsece includeret rationem culpae, quam Deus nec velle, nec ordinare potest, vt sit. Et ideo admittitur tali poena, negandum potius esset Deum esse causam eius. Verius tamen est, ipsam culpam non esse poenam, sed permissionem culpae, vel negationem auxilij congrui ad vitandam culpam, quod longe diuersum est, vt iam dicam. A tip eodem modo loquendum est de ordinatione in statu culpae, & de duratione: nam haec omnia quatenus formaliter includunt malum culpae, non possunt esse effectus Dei, & consequenter nec reprobationis. Permissio autem illorum a Deo est: an vero sit etiam ad reprobationem, videbimus. Et de hoc puncto videri possunt quae late tractantur in l. 2. de Auxilijs, c. 4.

4. Quarto denique colligo ex dictis omnes effectus reprobationis ad duo capita reuocari posse, scilicet malum poenae, & permissionem mali culpae. Non quod omne malum poenae, aut omnis permissio mali culpae sit effectus reprobationis, nam per se constat non ita esse: sed e conuerso quod omnis effectus reprobationis necessario debeat contineri sub aliquo ex dictis capitibus. Ratio est, quia reprobatio est ad malum, omne autem malum aut est poena, quae potest esse directe a Deo, aut est culpa, quae potest saltem permitti, vel non impedi a Deo. Videndum ergo superest, quae nam mala ex his, vel quae permissiones ex reprobatione oriuntur. Primum ergo, ac praecipuum dubium est de permissione futuri peccati. In quo est prima opinio simpliciter affirmans, omnem permissionem peccati reprobis esse effectum reprobationis eius. Ita significat D. Thom. dicto art. 3. ad 2. & art. 5. ad 3. Durand. in 1. dist. 41. quaest. 2. Gregor. qu. 1. art. 1. Marfil. q. 41. art. 1. Driedo in Concordia, 1. p. q. 3. Fundamentum esse potest, quia haec permissio est effectus diuinae providentiae, & non est effectus praedestinationis: ergo reprobationis. Quia tota providentia circa homines his duabus partibus concluditur. Confirmari potest, quia licet haec permissio non sit causa peccati, & consequenter non sit etiam causa ultimi effectus reprobationis, est tamen occasio aliquo modo, vel proprius loquendo est remouens id, quod postea impedit illos effectus: ergo vt sic, cadit sub, & videtur etiam totius reprobationis: nam haec providentia completitur non solum proprias causas reprobationis, sed etiam omne id ex quo sequi potest aliquo modo reprobatio.

Effectus reprobationis ad duo capita reuocantur.

5. Haec vero sententia habet specialem difficultatem in prima permissione, quae in homine nullam supponit: De Deo trinuno.

Haec vero sententia imprimis non habet locum in reprobatione Angelorum, in qua non fuit prima, & secunda, sed vnica permissio, quia propter primum peccatum damnati sunt. Deinde, non videtur habere locum in paruulis, qui propter solum peccatum originale reprobantur: nam sicut in illis est vnum tantum peccatum, tantum etiam esse videtur vnica permissio. At in his distingui potest duplex permissio, vna cadendi, vel contrahendi originale peccatum, (haec namque licet in rigore distingui possent, tamen secundum communem legem, & secluso priuilegio non se parantur, & ita nunc pro vna illas reputo) altera ergo est permissio durandi in peccato originali vsque ad mortem. Dicitur ergo potest, licet prior non sit reprobationis effectus hanc posteriorem esse effectum. Sed hoc habet quidem locum quoad reprobationem negatiuam, vt statim dicam, non vero quoad positiuam, de qua dicti auctores loquuntur. Et praeterea non potest eorum sententia procedere in permissionibus illorum peccatorum, quae integre & omnino multis reprobis in hac vita remittuntur. Nam supra dixi effectum praedestinationis necessarium esse, vt in re ipsa, & de facto conferat ad aeternam beatitudinem: ergo consimili ratione, & seruata proportione pertinet ad effectum reprobationis, vt nocumentum inde resultans perpetuo duret: ac peccata quae omnino remittuntur non inferunt perpetuum nocumentum: ergo permissiones eorum, etiam si sint post alias non erunt effectus reprobationis.

7. Hac sententia non admittitur.

Duplex permissio peccati distinguitur.

Quapropter aliter distinguunt de permissione. Nam, aut peccatum inde resultans est causa aeternae damnationis, vel non: si primum, illa permissio est effectus reprobationis propter priores rationes, & quia nihil illi deest ad veram rationem effectus: de posteriori autem negant propter vltimam rationem factam, sed adhuc prius membrum non videtur posse subsistere. Quia etiam si culpa subsequens ad permissionem sit causa damnationis aeternae, nihilominus ipsa permissio non est culpa: & quamuis sit non impediens causam, tamen non ex hac intentione a Deo volita est permissio, vt tandem sequantur culpa & damnatio: Diximus autem supra, de ratione effectus pra-

8.

Alij aliter distinguunt.



Deus prædestinationis esse, vt fiat ex intentione æternæ salutis, ad quam tendit prædestinatio: ergo de ratione etiam effectus reprobationis erit, vt fit ex intentione damnationis æternæ, in qua consistit proprius, & vltimus reprobationis effectus: ergo neque illa permissio potest esse effectus reprobationis positivæ.

9. *Aliter distinguen- dum est*

Mihi ergo aliter distinguendum occurrit de ipsa reprobatione. Est enim reprobatio positivæ, & negatiuæ voluntaria Deo per positivum actum, quam nos supra non prædestinationem appellamus. Primo ergo dicendum est, effectum reprobationis positivæ non incipere à permissione peccati, sed à pœna, quæ permanet in futura vita propter peccatum, vel ab alia, quæ cum illa necessario coniuncta sit. Prior pars de permissione sequitur necessario ex dictis. Nam ostendimus hanc reprobationem incipere à præscientia finalis peccati: ergo quidquid ex parte Dei antecedit hanc præscientiam, non potest esse effectus reprobationis, quia effectus non præcedit causam: sed voluntas permittendi peccatum, & ipsa permissio, vt præcognita antecedit præscientiam peccati futuri, quia non potest esse peccatum, nisi prius sit permissum, ergo permissio peccati non potest esse effectus reprobationis positivæ. Et hæc ratio probat in vniuersum de permissione omnis peccati, quia probat de permissione vltimi, & finalis peccati, ergo à fortiori de alijs. Deinde, ratio etiam supra facta apud me est efficax, quia non est effectus huius reprobationis, nisi qui à Deo fit ex intentione iam deliberata damnandi hominem propter peccata sua, sicut dictum est (proportione seruata) de prædestinatione: permissio autem peccati non procedit ex hac intentione diuina, cum hæc intentio fundetur in culpa hominis, non vt cuiusque spectata, sed vt iam desperata, & finali: ergo.

10. *In hac vita nullus est effectus reprobationis positivæ*

Atque hinc intelligitur, in hac vita nullum esse effectum huius reprobationis positivæ, sed eius effectus incipere in futura vita statim, a homo incipit puniri, seu tradi tormentibus, vt puniatur. Hoc attingitur in secunda parte assertionis. Et confirmatur, quia post prædictam finalis peccati præscientiam, sequitur diuinum iudicium contra huiusmodi reum, seu peccatorem, & deinde voluntas puniendi illum: sed ante hanc voluntatem non incipiunt effectus huius reprobationis: ergo incipiunt ab illa. At ex hac voluntate per se tantum sequitur pœna alterius vitæ quæ est pure vindicatiua. Nam pœnæ huius vitæ, quantum est ex parte Dei, medicinales esse possunt, si homo velit conuerti: ergo sola pœna alterius vitæ est reprobationis effectus.

11.

Solum potest ab hac regula excipi ipsa mors in tali statu, quæ mors in hac vita contingit, & solet esse pœna præcedentium peccatorum. Propter quam ergo addidi vltimam partem assertionis, quia hæc pœna ita est coniuncta cum æterna, vt quasi eadem cum illa connumerari possit. Oportet tamen aduertere, huiusmodi mortem aliquando euenire ex speciali ordinatione, & causalitate Dei, vt verbi gr. in Dathan, & Abiron, & tunc talis pœna est proprijsime effectus reprobationis positivæ: nam ante illam præuisam intelligimus Deum decreuisse damnare hunc hominem propter talia peccata, & ad hoc ordinasse illam mortem: quod est veluti tradere hominem ad huc viuentem in manibus inimici, & tortoris. Regulariter autem non ita fit, sed mors in tali statu prouenit ex generalibus causis, permittente Deo. Et tunc non antecedit ad talem permissionem præscientia absoluta finalis peccati vt sic: quia per ipsam mortem fit illud peccatum finale: vnde solum antecedit, conditionata præscientia, qua Deus prænouit, peccatum illud esse futurum finale, si permittat, & non impediat talem mortem hominis: & ideo tunc illa mors, seu pœna non est proprie effectus reprobationis positivæ, quia ante illam mortem permissam, & præuisam, vt absolute futuram, nondum intelli-

gitur sententia, nec decretum damnandi talem hominem.

Secundo dicendum est, permissionem peccati specialis, & proprii hominis reprobati esse effectum reprobationis negatiuæ, seu non prædestinationis. In hoc sensu intelligatur, & probetur, aduertendum est. Vt autem intelligatur, & probetur, aduertendum est. In permissione peccati duo includi, vnum est positivum, scilicet concursus, quem Deus vult dare voluntati ad efficiendum actum peccati, si velit: & quoad hoc nunquam permissio dicitur proprie effectus alicuius reprobationis, quia est effectus communis prouidentie, quam Deus vt prima causa, & vniuersalis gubernator quodammodo debet causis secundis. Item patet, quia illa non est effectus reprobationis positivæ, vt ostensum est: neque etiam negatiuæ, quia ex negatione per se non sequitur aliquid positivum.

Secundo est in permissione peccati negatio auxiliij, quod Deus videt fore congruum ad impediendum tale peccatum, si vellet illud dare & nihilominus non vult: vel potius vult non dare. Vbi rursus potest duplex voluntas Dei considerari. Vna est, quæ proxime, & immediate respicit ipsam permissionem, seu negationem auxiliij tanquam obiectum: & in hac consistit, talem negationem esse effectum talis voluntatis, eo modo que negatio potest habere causam, non per influxum positivum, sed per subtractionem influxus. Et hoc satis esset ad probationem conclusionis: quia illa voluntas non dandæ tale auxilium pertinet ad reprobationem negatiuam, vt supra declaratum est: ergo si permissio quoad hoc est effectus huius voluntatis, est etiam effectus reprobationis negatiuæ. Altera voluntas est magis remota, scilicet voluntas non præcogitandi hunc hominem ad gloriam, & de hac potest esse maior dubitatio, an hæc causalitas sit vera: Deus permittit hunc peccare, quia non elegit illum ad gloriam. Nam cum illa prior negatio non sit intentio finis, sed potius negatio intentionis, non videtur habere causalitatem aliquam in posteriorem negationem.

Nihilominus Diuus Augustinus sepe loquitur illo modo, vt videre licet de Bono perseverantie, capite decimo quarto, vbi dicit, reprobatio non dari vocationem efficacem, quia non fuit altiori modo à massa perditionis discretus. Et est probabile, quia hic modus causalitatis non est positivus, sed negatiuus, eo scilicet modo, quo negatio est causa negationis, quando affirmatio est causa affirmationis: ita vero est in præsentia. Nam electio ad finem est ratio dandi media efficacia, seu infallibilia ad illum: ergo negatio illius electionis erit suo modo ratio non dandi media, quæ cognoscuntur congrua, & infallibilia ad illum finem consequendum: neque in hoc superest noua difficultas.

Dixi autem, hoc intelligendum esse de permissione speciali, & propria reprobati, propterea, quæ tacta sunt inter referendas alias sententias. Nam permissio communis originalis peccati seu peccati Adæ, non potest vere attribui reprobationi alicuius: & alia etiam esse possunt ex communi prouidentia, maxime quando peccata, quæ sunt positæ talibus permissionibus, nihil de facto conferunt ad effectum reprobationis: nam quoad hæc recte prodebat rationes factæ contra secundam sententiam.

Cap. VIII. De concordia Reprobationis.
CAPVT VIII.

Virum Reprobatio tollat aliquo modo reprobati libertatem.

1. **Q**uestio habet tantum locum in adultis, vt per se constat, quia paruuli non sunt capaces libertatis. Et quantum ad rem atinet, nullam habet difficultatem, suppositis quæ diximus. Aut enim agimus de libertate quoad potestatem operandi bonum, vel quoad potestatem vitandi malum, aut etiam committendi illud, vel omittendi necessarium bonum. De potestate committendi malum, vel non operandi boni, nulla est disputatio: nam huiusmodi actus sine dubio reperiuntur in reprobis: ergo & potestas ad illos. Vnde potius quæri potest, quomodo quoad hos actus non sit necessitas.

2. Igitur quoad aliam potestatem operandi bonum, & cauendi malum, quod non sit ablata per reprobationem positiuam, probatur aperte ex dictis: quia hæc reprobatio supponit malum vsum illius potestatis, quia supponit culpam preuisam: ergo impossibile est, vt tollat potestatem ad talem vsum, alias se ipsam destrueret. Item quoad hoc eadem ratio est de hac reprobatione & de præscientia Dei, quia hæc reprobatio supponit præscientiam absolutam futuri euentus: præscientia autem non tollit libertatem vel potestatem vllam, quia supponit effectum futurum, & illum videt, sicut futurus est. Ergo similiter, & cetera. Denique hæc reprobatio non habet in hac vita aliquem effectum in ipso homine in ordine ad actus humanos eius, vt supra ostensum est: ergo non potest dare vel auferre potestatem, neque immutare liberum modum operandi in hac vita.

3. Idem facile potest demonstrari de reprobatione negatiua, seu negatione prædestinationis: quia propter illam non priuatur homo auxilio sufficiente ad operandum bonum, & vitandum malum, vt in præcedentibus ostensum est: ergo ex parte gratiæ non tollitur libertas ad non peccandum. Deinde, per voluntatem non eligendi vel non dandi vocationem congruam, Deus nihil positiuum operatur in voluntate humana, quia volitio Dei solum est de quadam negatione: ergo ex vi illius non mutatur naturalis modus agendi voluntatis humanæ: ergo nec necessitatur, nec determinatur ad non operandum bonum, vel ad operandum malum. Manet ergo integra libertas, non obstante reprobatione. Hic vero occurrebant prolixa disputatio cum his, qui docent, physicam prædestinationem voluntatis humanæ à solo DEO factam, necessariam esse ad opera peccatorum. Sed de illa controuersia nihil in hoc opere tractandum duxi, videantur dicta in lib. 2. de auxili.

4. Cum ergo hæc, quæ ad rem spectant, vera sint, in modo loquendi superest difficultas, an absolutè verum sit, esse in potestate hominis, qui damnatur non solum non damnari, sed etiam non reprobari, imo & non carere prædestinatione. Nam pars affirmatiua videtur aperte ex dictis sequi. Et, vt intelligatur difficultas sumi debet verbum illud, *Potest*, non tantum in sensu diuiso, sed etiam in composito. Quoad hoc tamen est differentia inter reprobationem affirmatiuam & negatiuam: nam in positiuam supponitur absoluta præscientia futuri euentus, scilicet, perseverantiæ in peccato vsq; ad mortem: & consequenter etiam includitur absoluta voluntas Dei damnandi hominem: & ideo in hac reprobatione manifestum est, facta illa suppositione, non posse cum illa compositum contrarium euentum. Hinc ergo fit, in sensu composito ex parte obiecti sumpto, vt supra declarauimus, illas locutiones esse falsas, idq; sine præiudicio libertatis: quia suppositio, quæ ponitur, est omnino consequens, & nullo modo antecedens, & ita à subiecto ipso nullam tollit libertatem.

Suarez: De Deo trinundò:

339
At vero in reprobatione negatiua secus esse videtur, quia illa nec supponit præscientiam absolutam futuri euentus, neq; etiam voluntatem absolutam damnandi hominem: ergo ex vi huius reprobationis non repugnat, neque implicat contradictionem, quod cum illa simul ponatur, in re ipsa futura salus hominis, cum hoc fit nec contra præscientiam DEI, nec contra diuinam voluntatem: ergo loquendo de hac reprobatione, admittendæ sunt omnes illæ locutiones, etiam in sensu composito, & compositionem ponendo in obiecto. Quod si hoc admittatur, sequitur vltierus, in potestate hominis non prædestinati esse, facere vt sit prædestinatus, iuxta illud quod refertur solet ex Aug. (sed apud illum non reperitur) *Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris*. Est enim conclusio euidens: quia si in potestate hominis est, non esse reprobatum, ergo & esse prædestinatum positue, quia hæc duo immediate opponuntur, & carentia reprobationis non tollitur, nisi ponendo prædestinationem. Consequens autem repugnat his quæ in superioribus dicta sunt. Quia si est in hominis potestate facere vt prædestinetur: ergo est in eius voluntate, vt in simili argumentatur August. 1. Retractat. c. 21. & sæpe alias: ergo homo per voluntatem suam potest dare causam suæ prædestinationi. Ideo enim potest aliquo modo dare suam iustificationi & glorificationi causam, quia per potestatem & voluntatem suam cum auxilio diuinæ gratiæ potest aliquid facere, quo iustificetur & glorificetur: ergo si potest aliquid facere, quo prædestinetur, poterit esse causa suæ prædestinationis, cuius contrarium dictum est.

De his locutionibus disputant inter se moderni Theologi, & aliqui existimant, omnino negandas esse propter rationem factam, & quia dictum est à nobis, reprobationem negatiuam non habere causam ex parte hominis, sed pendere ex sola libera voluntate Dei: id autè, quod huiusmodi est, non est in potestate hominis constitutum. Alij vero existimant, necessarium esse admittere illas locutiones, quia alias perditio hominis non esset vltimate in ipsum resoluenda, sed in Deum, qui illum non prædestinauit, ac perinde esset non prædestinari à Deo, & reprobari, quia æque impossibile fieret salus posita, non prædestinatione ac reprobatione positiuam. Nec putant hinc sequi, posse dari causam prædestinationis totius, quia semper supponitur præueniens auxilium ex parte Dei, vt dicere possumus, esse in potestate talis hominis non carere prædestinatione. Sed solum sequitur, esse in potestate hominis facere, vt tale auxilium ad prædestinationem pertineat, & effectum eius consequatur. Hoc autem omnino verum his authoribus videtur, quia in potestate hominis est, facere, vt illud auxiliu sit efficax, quia in potestate hominis est, vt habeat effectum vel non habeat: si autem sit efficax, erit auxiliu prædestinationis: ergo est in potestate hominis facere, vt tale sit.

Hæc posterior sententia rectè & consequenter defenditur ab his authoribus, qui præscientiam conditionatam non admittunt. Et inter eos illam maxime sequutus est Catherinus. Qui consequenter asseruit, plures non præelectos, neq; ex determinata intentione Dei, ita efficaciter vocatos, vt infallibiliter conuerterentur, de facto cõuerti & saluari. Veruntamen hæc sententia multa supponit, quæ à nobis nullo modo probari possunt. Vnum est, non dari præscientiam certam futurorum sub conditione. Aliud est, saluari de facto aliquos homines non præelectos ad gloriam ante præscientiam absolutam futurorum operum. Tertium est, non præinire Deum absolute & in particulari conuersionem, & perseverantiæ eorū, qui saluandi sunt, ante absolutam præscientiam eius. Nisi enim hæc omnia supponantur, seu contraria vt vera recipiantur, repugnantiam intulit illa sententia vt rationes factæ ostendunt.

Dico ergo, non esse in potestate hominis, cum non

Ff 2 electi-

5.
Idem probatur de negat.

6.
De his locutionibus varijs modi dicenti.

7.

8.

Conclusio.

electione diuina, seu cum non prædeterminatione, aut (quod idem est) cum reprobatione negatiua, actu ponere seu componere suam æternam salutem. Hæc resolutio facile constabit explicando magis fundamentum prioris opinionis, & alterius fundamento satisfaciendo. Vt ergo ratio illius sententiæ comprehendatur, est præ oculis habenda illa distinctio de reprobatione positiua & negatiua. Quia non reprobari positiue eodem modo est in potestate hominis, quo non condemnari, vel saluari, quia iam ostendimus, in hac materia optimum argumentum sumi ab ipsa damnatione ad reprobationem positiuam, quia hæc non opponitur immediate prædeterminationi, sed approbationi, seu glorificationi. At vero reprobatio negatiua immediate opponitur prædeterminationi, & ideo non magis potest esse in libera potestate hominis vna, quam alia. Ex quo aperte sequitur, facta suppositione non prædeterminationis, non posse simul cum illa componi salutem hominis, quæ solis prædeterminationis contingit.

Ad difficultatem autem positam responderetur,

quamuis non supponatur absoluta scientia in Deo: Difficilius neq; etiam decretum expellendi à Regno huiusmodi, arripit. personas, supponi tamen scientiam conditionariorum quæ adiuncta voluntate permittendi lapsum, seu non dandi tale auxilium, quod futurum esse congruum præseitur, transit in absolutam, & hoc satis est, ut effectus sit infallibilis. Neq; inde sequitur, Deum ex se, & ex voluntate sua reprobare huiusmodi homines positiua reprobatione, sed solum sequitur, ex se non prædestinare & velle permittere culpam, quod verum est nullumq; habet inconueniens. Deniq; parum refert, quod sit in potestate hominis actu operari cum auxilio iustificante Dei, & quod si id faciat, auxilium iam erit congruum & efficax. Nam cum Deus præiuderit hominem non fuisse vsurum tali potestate, simul cum illa potestate est infallibile tale auxilium futurum congruum, nec efficax. Non est autem in hominis potestate facere, vt Deus sibi præparet illud auxilium, quod nouit futurum esse congruum, sed hoc omnino pendet ex libera Dei voluntate.

Finis Libri Quinti.

INDEX CAPITVM LIBRI
SEXTI DE COMPARATIONE PRÆ-
DESTINATIONIS, ET REPRO-
BATIONIS.

- C**ap. 1. An prædestinatus in hac vita recipiat maiora dona gratiæ, quam reprobus
Cap. 2. In certitudine comparantur prædestinatio & reprobatio:
Cap. 3. Sitne maior numerus prædestinatorum quam reprobatorum.
Cap. 4. Ad totam Dei providentiam comparantur.

LIBER